

170. *Negativa sententia præfertur, atque probatur.* — Probatur altera pars nostræ conclusionis ex illo communiter recepto axioma, « Præsumptio cedit veritati. » l. *Imperatores*, ff. de *Probation.*; ibi. « Respondi veritati locum superfore : » ergo mens legislatorum nunquam fuit per leges in præsumptione fundatas quidpiam disponere contra veritatem; adeo ut hac cognita, v. g. per propriam confessionem, aut alias legitimas probationes, etiam in foro externo non amplius procedant, multo minus in foro interno, seu conscientie, ubi talis veritas est manifesta; nam, ut divus Apostolus II. *Corinth.* 1, 12, inquit: *Gloria nostra hæc est, testimonium conscientie nostræ, accedit, quod talibus, præsumptione a parte rei falsa infestatis, non deficiat jus, sed solum probatio, arg. l. Duo sunt.* ff. de *Testament. tutel.*; ergo dici non poterit mentem legum in præsumptione fundatarum fuisse, jus suum etiam cognita veritate (prout hic et nunc cognoscitur pro foro conscientie) cuiquam adimere velle; nam jus suum unicuique tribuere, pertinet ad tria juris præcepta § *Juris Instit. de Just. et jur.* illis verbis expressa: « Juris præcepta sunt hæc: Honeste vivere, alterum non lædere, jus suum cuique tribuere. »

171. *Ac pro ipsa plures citantur auctores.* — Atque ideo quod lex, et sententia judicis secundum leges judicantis, si est justa in foro externo, sit etiam justa in foro conscientie, nisi innitatur falsæ præsumptioni, tradit Sanchez, lib. I. in *Decalog.* cap. x, n. 11, post Baldum, Auth. *Ingressi*, n. 49, C. de *Sacris eccles.*; Navarrum in can. *Si quis autem*, n. 36, de *Pœnit.* dist. 7; Covarruvias in c. *Cum esses*, n. 7, de *Testament.*; Suarez, Vasquez, et plures alios. Idemque tenet Ancharanus consil. 411, dum ait præsumptiones non habere locum quoad Deum, et in foro animæ. Engel. h. t. nu. 36 et seqq. ac Layman, lib. I. *Theolog. moral.* cap. xvii, n. 7 et 8. ubi idcirco hanc regulam ponit: « Forum æternum, si justum est, non repugnat foro interno conscientie, nisi propter defectum probationis, adeoque per accidens ob ignorantiam. » Et addit, quod « quando alicui in externo foro causa abjudicatur, solum propter defectum probationis, tunc pars litigans, si veritatem perspectam habet, non tenetur se in conscientia conformare sententiae, nisi propter scandalum vitandum. »

172. *Et solvuntur rationes in oppositum aliate.* — Et conformiter dictis facilis est res-

ponsio ad rationes oppositæ sententiæ, num. 169 allatas. Nam, quia ipsæmet leges volunt, ut præsumptio cedat veritati; hinc negandum est, eas obligare, vel quidpiam disponere voluisse pro foro conscientie in casu cognitæ veritatis, cum hæc præsumptionem a parte rei falsam elidat. Et per hoc patet ad primam, et tertiam instantiam, ex legibus, ipsaque potestate legislativa depromptam.

173. *Datur quandoque contrarietas inter forum externum, et forum conscientie.* — Nec urget altera de vitanda perplexitate. Nam imprimis novum non est, ut ex defectu præsertim probationum, secundum forum externum, seu judiciale statuatur unum, et secundum forum internum, seu conscientie observetur alterum, text. clar. c. *Litteras*. 13. § *Porro*, et § *Quod si*; de *Restitut. spoliat.*, etc. *Inquisitioni*. 44. d. de *Sentent. excomm.* Quia forum externum procedit secundum allegata, et probata; forum autem conscientie inspicit ipsam veritatem, can. *Erubescant*, dist. 32, cum similibus. Et adhuc expressius habetur hæc contrarietas inter utrumque forum in can. *Quicquid*, que. 17. q. 4; ibi. « In potestate habebat episcopus non reddere, sed jure fori, non jure poli. »

174. *Isthæc sententia negativa procedit solum secluso scandalo.* — Deinde nostra conclusio procedit solum secluso scandalo, ac proinde seclusa perplexitate, seu intricatione inter utrumque forum. Nam, quia ad præcavendum scandalum quilibet jure naturali, ac divino obligatus existit, juxta illud Salvatoris *Matth.* xviii, 7. *Væ homini illi, per quem scandalum venit*, cum similibus: nemo est, qui neget, urgente tali periculo scandali, teneri subditum exequi sententias, conformiter legibus in præsumptione fundatis judicialiter latas, a quibus non appellavit, quamvis in veritate præsumptio illa non subsistat. Alioquin enim ordinarie publicum immineret scandalum, et gravis oriri posset perturbatio reipublicæ, dum perversi quique facile tumultuarent contra judices, asserendo sese injuste condemnatos. Et hoc ad summum convincunt rationes oppositæ sententiæ, videlicet ratione scandali, adeoque per accidens obligare leges in præsumptione a parte rei hic et nunc non subsistente fundatas, etiam in foro interno, seu conscientie.

175. *Leges in præsumptione a parte rei non subsistente fundatæ nequeunt observari, etiam*

ratione scandali, quando ex earum observantia resultat peccatum. — Solum adde cum Fagnano d. c. *Si quis*, n. 69 et 70 de *Regularib.* et communi aliorum, etiam hoc ultimum procedere dumtaxat in legibus, seu constitutionibus ex quarum observantia, nullum resultat peccatum, seu iniquitas in foro animæ: secus si ex earum observantia resultat in foro animæ peccatum. Patet hoc imprimis ex cit. c. *Litteras. de Restitut. spolia.* etc. *Inquisitioni. de Sentent. excommunic.* ubi in casu matrimonii, cujus nullitas in foro externo probari nequit, in foro interno autem cuiquam est manifesta, sic expresse decisum habetur. Deinde, licet quis ad solvendum v. g. debitum, quod re ipsa non debet, aut jam semel solvit, ex præsumptionibus a parte rei falsis per judicem, secundum allegata et probata procedentem condemnatur, ac proinde ad vitandum scandalum obedire, atque solvere teneatur; non tamen vicissim potest alter illam revera indebitam solutionem scienter recipere, aut retinere: siquidem ex parte hujus resultaret peccatum injustitiæ, atque iniquitas in foro animæ. Et hoc ipsum in pluribus aliis casibus est advertendum, habeturque quid simile in c. *Debitores*, 6. de *Jurejurand.* ubi is, qui juravit se soluturum usuras, tenetur eas solvere ratione præstiti juramenti, quamvis alter ipsas bona conscientia recipere non possit, quin etiam receptas restituere cogatur.

§ VIII.

DE LEGIBUS IN FICTIONE JURIS FUNDATIS, EARUMQUE OBLIGATIONE.

176. *Fictio juris, quid?* — Quæritur I. Quid sit fictio juris, et quæ ejus exempla? Resp. I. *Fictio juris* est legis adversus veritatem, in re possibili, ac ex justa causa dispositio. Ita Aleciatus, lib. VI. *Parergon juris*, cap. 1. et Menochius, lib. I. de *Præsumptionibus*, quæst. 8, num. 7. Et quamvis Jason, in l. *Si is, qui pro emptore*, n. 168, ff. de *Usucap.* sex alias fictionis definitiones, a diversis auctoribus datas, recenseat, quarum aliquæ addunt ly, « ad inducendum aliquem juris effectum æquitati naturali non repugnantem: » nihilominus hæc particula abunde continetur sub ly, « in re possibili, » utpote importante possibilitatem non solum de facto, sed etiam de jure; qualem non habet effectus ille, qui æquitati naturali aliunde repugnat. Quoad re-

liqua vero omnes ejusmodi definitiones in hoc concordant, quod natura fictionis juris in eo consistat, ut esse fingatur, quod revera non est, licet esse possit, in ordine ad aliquem juris effectum ex justa causa inducendum.

177. *Exempla fictionis juris plura in Jure habentur.* — Resp. II. Exempla fictionis plura in jure passim habentur; adeo, quod Jason, loc. cit. n. 172, asserat, quod fictio reperitur consonare cum decem prædicamentis. Juvat aliqua ex ipso, et aliis, huc adducere, idque pro meliori fictionis juris intelligentia.

178. *Referuntur aliqua, quæ dantur in prædicamento Substantiæ.* — Sic in prædicamento *Substantiæ*, filii in bello, ipsaque acie amissi, per gloriam vivere intelliguntur, scilicet fictione juris; adeo, ut ad tutelæ excusationem, et alia munera vitanda, patri prosint, § 1. *Instit. de Excusation. tutor.* et l. *Bello amissi.* juncta Glossa fin. ff. eod. Et econtra tali juris fictione monachus mundo, seu civiliter mortuus dicitur, can. *Placuit communi*. 16, q. 1, ubi Glossa finalis pro regula ponit, « quod in illis casibus civilis mors æquiparatur mortui naturali, ubi hoc jure cautum reperitur. » Simile quid habetur de servo, qui vivit, et tamen reputatur pro mortuo, l. *Cum hic status.* § *Si donator.* ff. de *Donat. inter virum et uxor.* et l. *Quod attinet.* et l. *Servitutem.* ff. de *Reg. jur.*

179. *Et in prædicamento Relationis.* — Insuper in prædicamento *Relationis* monasterium habetur loco filii, idque per quamdam juris fictionem, ob favorem religionis, in ordine ad certum effectum, de quo habetur mentio in c. *Præsentia*, 8, de *Probation.* In prædicamento *Actionis*, dum miles hostem, vel judex, aut minister ejus nocentem occidit, talis non dicitur homicida: quia fictione juris, « cum homo juste occiditur, lex eum occidit, non tu, » ut loquitur divus Augustinus, relatus in can. *Si homicidium*, 23, q. 5. In prædicamento *Passionis*, captus ab hostibus, et reversus quoad jura sua reputatur, ac si captus ab hostibus non fuisset, l. *Postliminii*, § 1, ff. de *Captivis, et postliminio reversis*: ubi per quamdam juris fictionem, ob commune bonum reipublicæ, sicque ex justa causa, tales pro nunquam captis reputantur.

180. *Atque in prædicamento Ubi, et Quando.* — In prædicamento *Ubi*, canonici causa infirmitatis, vel ob evidentem Ecclesiæ utilitatem absentes, fictione juris habentur pro presentibus, et percipiunt fructus, ac distributiones

sui beneficii, cap. un. *de Cleric. non resident.*, in 6.

In prædicamento *Quando*, habetur illud speciale, quod filii illegitimi per subsequens matrimonium legitimantur, dum matrimonium subsequens juris fictione retrahitur ad tempus conceptionis, vel natiuitatis, idque favore liberorum, c. *Tanta*. « Qui filii sint legit. » et § fin. *Instit. de Nuptiis*. Omittuntur alia fictionum juris exempla, de quibus suo loco.

181. *Fictio juris differt a presumptione juris in pluribus; et in quo præcipue?* — Queritur II. In quibus fictio juris differat a presumptione juris? Resp. differre in pluribus. Primo quidem, ac præcipue in hoc, quia fictio juris assumitur in casu certo contra veritatem; nam fictio fingit vera esse ea, quæ vera non sunt. Præsumptio autem assumitur in casu dubio secundum verisimilem veritatem: nam præsumptio est super eo, quod est dubium, et incertum, colligendo ex indiciis ita esse, quod cæteroquin est dubium, et incertum. Jason, loc. cit., n. 169. Menochius, d. q. 8, n. 9, citans alios. Et hoc est, quod brevius tradit Glossa in L. un. §. *Præsumatur*. C. *de Rei uxor. action.* illis verbis: « Super id, quod est certum, fingitur; super incerto præsumitur. »

182. *Fictio juris differt a presumptione juris in pluribus et in quo præcipue?* — Cum hac Differentia propemodum coincidit altera, consistens in hoc, quia præsumptio juris assumitur ad investigandam veritatem, quæ cæteroquin latet, dum per rerum circumstantias, et conjecturas, procedit ad inferendum aliud, de cuius veritate dubitatur. Fictio juris autem cognita falsitate ob naturalem æquitatem fingit aliquid esse, quod a parte rei non est: unde *Fictio* dicitur, ubi lex fingit pedes contra certos terminos veritatis: secundum Baldum in l. *Non ignorat.*, in 1, Col. C. *Qui accusare non possunt*; Jason, d. n. 169.

183. *Referuntur octo alie earum differentie.* — Tertio differunt, quia contra presumptionem juris admittitur probatio in contrarium; et si de hoc pateat, tunc præsumptio cedit veritati, l. *Imperatores*, ff. *de Probatione*. Contra fictio juris nunquam admittit probationem contra se: quia est quedam legis dispositio, fundata super naturali æquitate, atque per ipsammet legem stabilita. Menochius, d. lib. I. *de Præsumptione*, q. 8, n. 41, post Soccinum in l. *Cum avus*, n. 73, ff. *de*

Condit. et demonst. et alios. Unde Felinus in c. *Quando*. § ult. *de Præsumpt.* sic ait: « Ubi lex non præsumit, sed fingit, non admittitur probatio in contrarium, quia licet veritas aliter se habeat, tamen lex vult fictionem haberi pro veritate. »

184. *Referuntur octo alie earum differentie.* — Quarto differunt, quia præsumptio est quedam species probationis, non sic fictio juris. Quinto, datur quandoque præsumptio hominis, seu quæ ab homine, puta a iudice inducitur, seu excogitatur: secus est de fictione juris, utpote quæ est legis dispositio, sicque ab homine, seu iudice introduci non potest. Sexto, præsumptio una potest alteri adversari; et tunc potentior minus potentem tollit, et perimit: at vero fictio una non potest esse contrariam. Septimo, possunt plures præsumptiones insimul concurrere; non sic plures fictiones. Octavo, fictio denotat impropriam; aliud est in præsumptione, quæ proprietatem significat. Nono, præsumptio extenditur in personam, non autem sic extenditur fictio. Decimo, præsumptio versatur circa ea, quæ sunt facti; fictio autem circa ea, quæ sunt juris et facti simul. Menochius cit. quæst. 8, n. 43, 47 et seqq. ubi præfatas differentias singillatim probat, et alias adhuc, minus tamen notabiles, subjungit.

185. *Leges in fictione juris fundate procedunt in foro conscientie.* — Queritur III. Utrum leges in fictione juris fundate locum habeant etiam in foro conscientie? Resp. Leges per fictionem juris quidpiam disponentes sunt justæ, ac proinde non solum in foro externo, verum etiam in foro conscientie locum habent. Ita communis; et patet tum ex dictis n. 153 et seqq.; tum ex eo, quia ejusmodi leges fundantur in naturali æquitate, propter quam aliquid disponunt in casu ficto, quod observaretur in vero: nam fictio semper fundata est in aliqua æquitate. Bartol. in l. *Si is, qui pro emptore*, n. 35, ff. *de Usucap.* et tradunt ibidem omnes doctores, et inquit Menochius, lib. IV, *Præsumpt.* 89, n. 9. Et nihil operatur fictio, quando æquitas deficit, arg. d. *Postliminium*, § *Transfugæ*, ff. *de Captivis, et Postlim. revers.* Menochius, d. lib. IV, *Præsumpt.* 39, n. 16. Idque declaratur exemplis. Sic quippe v. g. canonici causa infirmitatis absentes, fictione juris censentur presentes in ordine ad effectum percipiendi fructus beneficiorum, ita ut hoc effectus tam bene, ac etiam tuto in conscientia percipiant, ac si revera presentes forent: et hoc ob illam æquitatem

naturalem, ne aliquis clericus infirmus destituatur necessariis vitæ, et ne afflicto addatur afflictio, atque hac ratione cæteri deterreantur a suscipiendo statu clericali, cap. 1 et seqq. *de Clerico ægrotaute*. Similis æquitas naturalis reperitur in clerico absente causa suæ ecclesie, in legitimatione prolium per subsequens matrimonium, et aliis hujusmodi fictionibus juris.

186. *Auctores, qui videntur oppositum innuere, loquuntur de fictione hominis, non juris.* — Nec obstat dictum illud card. Tuschi, litt. E., concl. 222. Oldradi, consil. 73, in fine, ac Federici de Senis, consil. 21, et aliorum, asserentium, quod fictio in spiritualibus non accipiat pro veritate; item, quod fictio non habeat locum in foro conscientie, ubi veritati non præjudicatur per fictionem. Resp. enim, hujusmodi dicta procedere de fictione hominis, sive prout fictio coincidit cum præsumptione; hanc enim non admitti in foro conscientie, sed cedere veritati, tum citati auctores dicere volunt (prout ex integro contextu suorum verborum liquet) ut tum, supra n. 164 et 170, jam dictum est: non autem de fictione juris, ob naturalem æquitatem quidpiam disponentis in casu ficto; nam hæc etiam locum habet in foro anime, uti probant rationes, et exempla allata de clericis infirmis, aut in causa propriæ ecclesie absentibus, utpote quibus cæteri clerici in conscientia tenentur dare consuetos redditus Ecclesie, quos et illi tuta conscientia accipere, et retinere possunt: et idem fit in aliis similibus.

187. *Regulæ circa fictionem juris attendende referuntur.* — Queritur IV. Quæ regulæ circa fictionem juris sint attendende? Resp. Hæc potissimum sunt sequentes; quæ tum ex ipso jure, tum ex diversis probatissimis auctoribus desumuntur. Ex his sit

188. I. *Fictio juris idem operatur in casu ficto, quod veritas in casu vero.* — Regula I. « Fictio juris idem operatur in casu ficto, quod veritas in casu vero. » Jason, in l. *Si is, qui pro emptore*, n. 216, ff. *de Usucap.*; Fagnanus in c. *Nos quidem*, n. 57, *de Testament.*; Barbosa, axiomat. 97, n. 1, et alii passim. Idque probatur ex l. 1, ff. *de Adoptione*, et l. *Si filius familias*, § *Si certum petatur*, et l. *Cum hic status*, § *Si ambo*, ff. *de Donatione inter vir, et uxorem*, etc. *Sicut Dignum*, 6, *de Homicid.*, cum pluribus aliis.

189. *Hæc regula procedit solum secundum specialitatem in jure expressam, non quoad alia.* — Cæterum hæc regula procedit solum in

casibus fictis, prout a jure exprimentur. Fatendum siquidem est, quod fictio non omnimode sit tantæ potentie, quantæ efficacie est veritas, sive actus naturalis in casu vero. Glossa in c. *Susceptum*, §. *Non morte. de Rescript.*, in 6; cardinal. Tuschi, litt. F. conclus. 221, num. 1. Baldus, in L. IV, C. Ad S. C. Vellejanum, ubi pluris operatur vera et naturalis solutio, quam acceptilatio, sive imaginaria solutio; nam quoad istam subvenitur mulieri in se suscipienti obligationem alterius; non quoad illam, sive quando mulier actu solvit pro alio. Similiter, licet clericus, qui est in servitio episcopi, fictione juris censeatur residere, non tamen is percipit distributiones quotidianas, quas perciperet actu præsens, c. *De cætera*, 7. *De Clericis non resident.*

190. *Unde absolute loquendo, fictio non est tantæ potentie, quantæ veritas.* — Et ex his sequitur, quod absolute loquendo, fictio non sit tantæ potentie, quantæ est veritas, seu actus naturalis, ut inquit Fagnanus, d. c. *De cætera*, n. 31, *de Cleric. non resident.* et rursus c. *Nobis*, n. 91, *de Simonia*. Fictum enim non habet esse realiter, sed esse intelligitur. Hinc insuper, cit. cap. *Sicut dignum de Homicid.* plures quidem fictione juris censentur homicidæ, non tamen omnes pari pœna puniuntur. Atque etiam, licet renuntians, quoad ecclesiam renuntiatam habeatur pro mortuo, can. *In apibus*, § *Ecce*, 7, q. 2, non tamen re ipsa mortuus est: imo nec idem est per omnia in eo, quod in mortuo: nam talis posset de novo ad Ecclesiam reassumi, c. *Ex transmissa. de Renuntiat.* quod in mortuo esse non poterit. Igitur allata regula prima procedit solum juxta illam specialitatem, secundum quam habetur fictio juris, seu extat expressa dispositio legis; non item quoad alia.

191. II. *Fictio juris non debet plus operari in casu ficto, quam veritas in casu vero.* — Regula II. « Fictio juris non debet plus operari in casu ficto, quam veritas in casu vero. » Ita Anton. Burgos, in *Relect. c. De Quodvult Deo*, num. 69, *de Judiciis*. Sive, ut alii loquuntur, « actus fictus non debet esse majoris potentie, quam actus verus, » seu naturalis. Baldus, L. IV, n. 2, C. Ad S. C. Vellejanum; Fagnanus, c. *Quia diversitatem*, num. 23, *de Concess. præbend.*, etc. *De multa*, n. 30, *de Præbend.* ac alii. Idque desumitur imprimis ex reg. 10. juris in 6; ibi: « Ratificationem retrahere, et mandato non est dubium comparari. » Ubi Glossa inde concludit, dicens:

« Ratiatio operari non potest, nisi quod posset mandatum expressum; » utpote cum mandato comparetur, sicque hujus efficaciam non excedat. Quod idem de aliis juris fictionibus, servata proportione, dicendum est.

192. *Solvitur instantia.* — Nec obstat, quod aliquando plus videatur operari fictio, quam veritas, arg. l. *In eos*, ubi Bartolus, ff. *de Custod. reor.* juncta l. *Inde Neratius*, § *Idem Julianus*. ff. *Ad legem Aquiliam*. Nam ibi fictio plus operatur solummodo propter adhaerentem sibi qualitatem, non autem secundum se. Ant. Burgos, loc. cit. num. 75.

193. III. *Fictio non habet locum, nisi in casibus a jure expressis.* — Regula III. « Fictio non habet locum, nisi in casibus a jure expressis. » Fagnanus, in c. *In presentia*, n. 23, *de Probation.* ubi speciale habetur favore religionis, quod in casu ibidem expresso monasterium habeatur loco filii per quamdam juris fictionem: istud enim (idemque dicendum de similibus) neququam extendi potest quoad alia. Nam fatuum foret dicere, quod monasterium quoad omnia habeatur loco filii: alioquin enim inter alia absurda sequeretur, quod monachus ille, de quo ibidem est mentio, haberet monasterium in sua potestate, sicut pater filium; item, quod quidquid acquirit monasterium, acquirat monacho, etc. Diceretur igitur, quod fictio locum non habeat, nisi in casibus a jure expressis; prout tradit Glossa in can. *Placuit communi*. §. *Mortuus*. 16, q. 1, ubi hujus exemplum adducens de morte civili, subinfert esse tenendum pro regula, quod in solis illis casibus civilis mors æquiparetur morti naturali, ubi hoc jure cautum invenitur. Idem tenet, atque amplius deducit Felinus d. c. *In presentia*. numer. 42, *de Probation.* estque recepta doctorum sententia, quam stabiliunt, dicta numer. 189 et 190.

194. *Hinc fictio juris non extenditur de casu ad casum.* — Infertur proinde, quod fictio juris non extendatur de casu ad casum, l. ult. C. *De his, qui veniam ætat. impetr.* Felinus, cit. n. 42, post Bartolum, et alios, ubi subdit ista esse notanda, tanquam necessaria, quia aperiunt intellectum multis de facili occurrentibus. Verum cardin. Tuschus, loc. cit. concl. 223, num. 1, post Geminianum, consil. 66, n. 5, notat hoc procedere in materia odiosa; secus in favorabili: unde jura loquentia de vacatione per mortem naturalem ad favorem Ecclesiæ, habent etiam locum in vacatione per mortem civilem, seu fictam, ad

eumdem favorem Ecclesiæ. Alias autem fictio non extenditur, adeo ut lex generalis non comprehendat casus fictos, nisi expresse de ipsis loquatur card. Tuschus, d. consil. 223, n. 3, citans Baldum, consil. 139, lib. V, ac tradit Bartolus, Leg. 3, § *Hæc verba*. in *summario*, ff. *de Negotiis gestis*.

195. *Nec ipsa habet locum in statutis.* — Infertur ulterius, quod fictio juris non habeat locum in statutis, ac proinde casus fictus non comprehendatur sub generali dispositione statutorum: nam fictio involvit impropriam; in statutis autem verba debent proprie accipi, arg. de l. 3, § *Hæc verba*, ff. *de Negot. gest.* Jason, cit. l. *Si is, qui pro empt.* n. 170 et 171, ff. *de Usucap.* citans Bartolum, et alios. Menochius, d. lib. I, *de Præsumpt.*, q. 8, n. 26; card. Tuschus, litt. F. conclus. 222, num. 22, ubi hoc exemplificando, inter alia inquit, quod licet appellatione diei ex fictione juris veniat nox, l. *More Romano*, ff. *de Feriis*: tamen secus sit in statuto puniente, seu alterante pœnam certo die; quia hoc non extenditur ad noctem.

196. IV. *Fictio non trahitur ad illa, quæ sunt impossibilia secundum naturam. Exemplificatur.* — Regula IV. « Fictio non trahitur ad illa, quæ sunt impossibilia secundum naturam. » Glossa magna in l. *Gallus*, § *Si ejus*, ff. *de Liberis et posthum.* Jason, l. *Si is, qui pro emptore*, ff. n. 117. Bartolus, et alii. Et ratio est, quia fictio imitatur naturam, in quantum potest, l. *Adoptio*, ff. *de Adoptionib.* cum similibus: ergo non debet trahi ad ea, quæ secundum naturam sunt impossibilia. Et hoc Stephanus Costa in *Repetit. c. Cum quis*, num. 24, *de Sent. excommunicat.*, exemplificat in casu, quo quis interfecerit hominem nomine cujuspian infantis et tale homicidium infans major factus ratificavit; nam ista ratificatio minime retrotrahitur per fictionem juris, eo quod per naturam impossibile fuerit, illum infantem tunc temporis occidere, vel homicidium mandare, nec plus possit operari fictio, quam veritas.

§ IX.

DE LEGE PŒNALI, AC PŒNIS LATÆ ET FERENDÆ SENTENTIÆ.

197. *Lex pœnalis, quid, et quomodo differat a lege morali?* — Quæritur I. Quæ sit lex pœnalis, et an detur aliqua mere pœnalis? Resp. I. *Lex pœnalis* est ea, qua aliquid præcipitur,

vel prohibetur, sub certa pœna transgressoribus constituta, et ejusmodi pœna potest esse multiplex, nimirum vel spiritualis, ut excommunicatio, suspensio, etc., vel temporalis, ut confiscatio honorum, etc., vel etiam corporalis, ut incarceration, mutilatio, fustigatio, etc. Et differt lex pœnalis a *Lege morali*, quod hæc expresse nullam pœnam transgressoribus imponat, sed mores dirigat, obligando ad actum, vel ejus omissionem: unde tunc pœna, utpote a lege necdum taxata, judicis arbitrio transgressoribus imponi debet, ne crimina impunita remaneant.

198. *Lex mixta, quæ?* — Quod si vero lex obliget ad actum sub culpa præstandum, simulque ad certam pœnam transgressoribus taxatam, dicitur *Lex mixta*, videlicet ex morali et pœnali: cujusmodi plures, et passim obviam habentur constitutiones canonicæ, quæ et quidpiam ad spirituale bonum fidelium præcipiant, et congruas transgressoribus pœnas constituunt. Cæterum *Leges mere pœnales* appellantur eæ, quæ ad culpam (per se loquendo) non obligant: sed ad solam pœnam: et an tales dentur, remanet quæstio. Unde

199. *Dantur leges, seu constitutiones mere pœnales.* — Resp. II. Dantur aliquæ leges, seu constitutiones mere pœnales, quæ ad culpam non obligant, sed ad solam pœnam transgressoribus taxatam. Ita divus Thomas 2. 2. q. 189. art. 9. ad 1. ubi hoc exemplificat de regula fratrum Prædicatorum, in qua ait dari aliqua, quorum transgressio, vel ommissio, ex genere suo non obligat ad culpam, neque mortalem, neque venialem, sed solum ad pœnam taxatam sustinendam. Navarrus c. 23. *Manual.* n. 49; Angelus, §. *Religiosus* n. 28. et communior aliorum: quamvis Sanchez, lib. VI. *in Decalog.* cap. iv. numer. 42, velit ejusmodi ordinationes, ad solam pœnam obligantes, non esse proprie leges. Ratio conclusionis est, quia lex non obligat ultra mentem legislatoris; ergo si is intendat sub sola pœna obligare, hoc v. g. expresse declarando, clarum est, quod ex se ad culpam non obligent. Hoc ipsum in simili probatur ex illa doctrina, quam tradit Abbas in c. *Nam concupiscentiam*, num. 2. *de Constit.*, Sanchez, lib. VI. *in Decalogum*, cap. iv. num. 5. Layman, lib. I, tract. IV, cap. xiv. num. 2. et alii ab eis citati: videlicet, quod legislator circa materiam cæteroquin gravem possit obligare solum sub veniali; nam actus agentium non operantur ultra eorum intentio-

nem, cap. ult. *de Præbend.* et l. *Non omnis*. ff. *Si certum petatur*, cum similibus.

200. *Exemplificatur hoc in quibusdam religiosorum statutis, et aliis.* — Sic dantur quædam religiosorum statuta, quæ per se (hoc est, seclusa obligatione præcepti naturalis, divini, ecclesiastici, aut alterius, statum suum afficientis) ad culpam, seu sub peccato in conscientia incurrendo non obligant, sed tantum ad pœnam in statutis taxatam, seu a superioribus infligendam, prout de ordine Prædicatorum testatur Doctor angelicus, loc. cit. idemque procedit de aliis constitutionibus regularibus, in quibus hoc ipsum expresse declaratur. Similiter ad culpam in conscientia non obligant nonnullæ constitutiones politicæ circa eos actus, qui nec juri divino, nec naturali adversantur, eorum tamen executio, seu intermissio confert ad tranquillum statum re publicæ; ut puta, ne quis noctu sine lumine ambulet, ut certum vestium ornatum adhibeat, vel omittat, et hujusmodi. Et cum tales constitutiones ferantur a legitimo superiore, ac in bonum communitatis, et cum animo perpetuo obligandi subditos ad pœnam taxatam sustinendam; nihil eisdem deesse convincitur, quo minus sint leges proprie dictæ, cum ipsis per omnia conveniat definitio legis ut sic.

201. *Solvitur instantia. Pœna est noxæ vindicta. In transgressione legis mere pœnalis non intervenit culpa theologica.* — Objicies. Si nulla in talibus intervenit culpa, ergo nec etiam transgressoribus juste pœna per statutum taxatur, aut a superioribus imponitur; nam pœna est noxæ vindicta, ut dicitur in l. *Aliud est*, ff. *de Verb. signif.* Resp. negando sequelam: quamvis enim in transgressione legis mere pœnalis nulla interveniat culpa theologica, seu quæ sit peccatum coram Deo; nihilominus intervenit culpa legalis seu politica, quæ importat defectum a lege, et contra laudabilem reipublicæ, vel ordinis religiosi constitutionem admissum: quæ proinde culpa ab aliis appellatur *Imperfectio positiva*, ac merito castigatur pœna competentis. Accedit regula 23. juris in 6; ibi: « Sine culpa, nisi subsit causa, non est aliquis puniendus: » atqui in proposito subest causa talem puniendi, nempe violatio legis, haud obstante, quod hæc vacet culpa theologica; ergo.

202. *In transgressione legis mere pœnalis non intervenit culpa theologica.* — Dices. In tali casu vere intervenit culpa theologica,